

et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis, dummodo voluntas diocesani ad id accesserit et consensus, in domino misericorditer relaxamus. Datum anno domini M^o.CCC^o. decimo Kal. Junii.

Nach dem Copiar. D. 23 im Stiftsarchiv zu Zeitz fol. 67.

No. 347. 1311. 26. Mai.

Probst und Capitel treffen wegen der Obedienzen und kleineren Pfründen und der damit für deren Inhaber verbundenen Verpflichtungen eingehende Bestimmungen.

In nomine domini amen. Nos Henricus dei gratia praepositus, Withigo decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis considerantes negligentias obedienciariorum, qui illas obventiones, quae dicuntur obedientiae vulgariter, statutis temporibus et debito modo aliquotiens non ministrant, propter quod et nostram ecclesiam sentientes in aliis necessariis suis tractatibus omnimode neglectam multipliciterque deformatam, post tractatum diutius in ipso capitulo habitum de corrigendis huiusmodi negligentis et statu reformando diligentia cum exacta, omnes siquidem et singuli de capitulo tam praelati quam simplices canonici nobis Henrico praeposito, Withigoni decano, Alberto de Luppe archidiacono Nisicensi, Lutoldo cantori, Henrico praeposito Haynensi, Ottoni archidiacono Lusatiae, Misnensibus canonicis plenam dederunt auctoritatem arbitrandi corrigendi emendandi diffiniendi ordinandi et statuendi de omnibus et singulis negligentis obedienciariorum et eorundem ministrationibus, quae reformatione, correctione seu emendatione in nostra ecclesia indigere viderentur, adstringentes se ad observantiam omnium et singulorum, quae per nos ordinarentur sive statuerentur, universi et singuli fide data. Nos igitur Henricus praepositus, Withigo decanus una cum praedictis nostris coarbitris in eam formam sive modum convenimus unanimiter et concorditer prout inferius continetur, ut omnis rancor et odium, quae inter nos possent ex eo in posterum generari, penitus amputentur. Statuimus et irrefragabiliter ordinamus octo portiones maiores, sex vero minores, unam portionem duobus vicariis episcopalibus et unam hospitali. Quas quidem portiones personis idoneis nostris concanonicis vitae suae temporibus committimus possidendas. Harum vero portionum una est allodium Schylowe^{a)} cum omnibus suis pertinentiis, videlicet cum censu, iudicio, molendinis et captura piscium circa sanctam Crucem, quod vulgariter vach dicitur, et villa Yessen^{b)} cum omnibus suis pertinentiis et medietas census et avenae in Mezilwiz^{c)} cum aliis iuribus et pertinentiis eorundem; de hac portione in omnem eventum ad pistrinum tres maldratae siliginis et tres maldratae tritici ministrentur, et de Gessen omnes anniversarii et servitia consueta suis temporibus ministrentur. De Mezilwiz vero pro anniversario magistri Henrici de Rokhusin decem solidi denariorum communium ministrentur. De praepositura vero dominus praepositus maior quatuor maldratas tritici modis omnibus ministrabit. Ad haec quatuor talenta in Scheniz^{d)} usibus suis ad tempora vitae suae reservabit, ni ipsum contingat ad gradum transcendere altiore vel suam portionem transmutare, ex tunc eadem qua-

a) Zscheila bei Meissen. b) Jessen, Par. Lommatzsch. c) Mettelwitz, Par. Leuben. d) Schänitz, Par. Boritz.